



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

L. De affectionibus recte ordinandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

in doctrina conversionem, in passione vivificationem. Unde ait Prophe-
ta^e: *Venite & revertamur ad Dominum: quia ipse cepit & sanabit nos: per-*
cutiet & curabit nos: Vivificabit nos post duos dies, scilicet cognitionis & con-
versionis: in die tertia suscitabit nos, voce Verbi incarnati per primam
suam resurrectionem: & *vivemus in conspectu eius* vivificati per passio-
nem, serenius illuminati per miraculorum cognitionem: *sequemurque ut*
cognoscamus Dominum, instructi per doctrinæ conversionem.

e Ose. 6. 2

S E R M O L.

De affectionibus recte ordinandis.

Egredimini filia Sion, & videte regem Salomonem. Non dicit Ecclesiastem,
aut ididam*. Nam & his nominibus appellatus est Rex ille: & signi-
ficat Jesum Christum nostrum verum Salomonem, qui est Salomon, id est
pacificus in exilio: Ecclesiastes, id est, concionator, in iudicio: Idida, id
est, dilectus Domini in regno. Utique rex. In exilio rector morum, in
iudicio discretor meritorum, in regno distributor præmiorum. In exilio
mansuetus, in iudicio terribilis, in regno admirabilis. In diademate quo
coronavit eum mater sua. Est autem hæc corona misericordiæ, & in hac
imitabilis. Coronavit eum & noverca sua coronâ miseræ, & in hac con-
temptibilis. Synagogam loquor, quæ se ei non matrem exhibuit, sed no-
vercam. Coronabit eum familia sua coronâ justitiæ, & in hac terribilis.
Coronat eum Pater suus corona gloriæ, & in hac desiderabilis. Videant
ergo eum peccatores in corona miseræ, id est spinea, & compungantur.
Videant eum filia Sion animæ affectuosæ in corona misericordiæ, & imiten-
tur. Videbunt eum impii in corona justitiæ, & peribunt. Videbunt eum
sancti in corona gloriæ, & perpetualiter gaudebunt.

Egredimini filia Sion, animæ delicatæ de sensu carnis ad intellectum
mentis; de servitute carnalis concupiscentiæ ad libertatem spiritualis in-
telligentiæ, & *videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater*
sua. Coronantur quidem alii imitatores ipsius, sed hoc ex industria adjuti
per gratiam. Salus iste à matre coronatus est, quia solus cum ordinatis af-
fectionibus tanquam sponsus è thalamo processit ex utero matris: Sunt au-
tem affectiones istæ quatuor notissimæ, amor & lætitia, timor & tristitia.
Absq; his non subsistit humana anima, sed quibusdam sunt in coronam,
quibusdam in confusionem. Purgatæ enim & ordinatæ, gloriosam in vir-
tutum corona reddunt animam. Inordinatæ per confusionem dejectam &
ignominiosam. Purgantur autem sic. Si amantur quæ amanda sunt, si ma-
gis amantur quæ magis amanda sunt: si non amantur quæ amanda non
sunt, amor purgatus erit. Sic & de cæteris. Ordinantur autem sic: In initio
timor, deinde lætitia, post tristitia, in consummatione amor. Compositio

Cant. 3. d
* Idida vo-
catus Salomon.
Hbr. Jedi-
dejah. v.

NOTAS.

*Affectiones
quatuor in
Christo ordi-
nate ab utero.*

*Quomodo pur-
gande.*

*Quomodo or-
dinande.*

Sermones S. Bernardi.

T t t t

quarum

quarum talis est. De timore & lætitia nascitur prudentia, & est timor causa prudentiæ, lætitia fructus. De lætitia & tristitia nascitur temperantia, cujus est tristitia causa, lætitia fructus. De tristitia & amore nascitur fortitudo, & est tristitia causa fortitudinis, amor fructus. Clauditur circulus coronæ. De amore & timore nascitur justitia, & est timor causa justitiæ, amor fructus.

Ordinate virtutes, inordinate sunt perturbationes.

Considera ergo quomodo istæ affectiones ordinatæ virtutes sunt, inordinatæ perturbationes. Si timorem sequatur tristitia, desperationem generat: si amorem lætitia, dissolutionem. Sequatur ergo timorem lætitia, quia timor futura cavet, lætitia de præsentibus gaudet, prudentis cautela finem lætitiæ possidet. Probet ergo lætitia timorem. Probatus timor nihil aliud quam prudentia est. Comitetur lætitiæ tristitia, quia moderatè læta amplectitur, qui tristitia reminiscitur. Temperet ergo lætitiæ tristitia, Temperata lætitia nihil aliud quam temperantia est. Jungitur amor tristitiæ, quia fortiter sustinet tristitia, qui per amorem quæ sunt amanda desiderat. Confortet ergo amor tristitiæ. Confortata verò tristitia nihil aliud quam fortitudo est. Jungatur amor timori: quia ordinatè amandis inhaeret, qui timenda non negligit. Ordinet ergo amor timorem, ordinatus timor nihil aliud quam justitia est. Duæ affectiones lætitiæ & tristitiæ non se extendunt ad alia: in nobis enim lætamur, & in nobis tristamur. Amor & timor ad alia se extendunt. Timor enim affectio est naturalis, quæ nos conjungit superiori per inferiorem partem, & habet se ad solum Deum. Amor affectio est, quæ nos conjungit superiori, & inferiori, & æquali, & habet se ad Deum & proximum. In his autem duobus perfecta consistit justitia, ut timeamus Deum propter potentiam; amemus propter bonitatem, & proximum propter naturæ societatem.

Ordinatè amandis inhaeret, qui timenda non negligit.

Perfecta justitia quæ.

SERMO LI.

De Mariæ Purificatione & Christi Circumcisione.

Christi circumcisio & Mariæ purificatio quid nos doceant.

Item quid gestatio Christi.

a Gal. t. c

Quid est quod dicimus beatam Mariam purificari? Quid verò quod ipsum Jesum dicimus circumcidi? Enimverò tam non indiguit illa purificatione, quam nec ille circumcissione. Nobis ergò & hic circumciditur, & illa purificatur, præbentes exemplum pœnitentibus, ut à vitis continentibus, primum per ipsam continentiam circumcidamur, deinde à commissis per pœnitentiam purificemur. Quid est autem quod Maria portat Jesum in utero, Joseph in humero, in Ægyptum scilicet iens & inde rediens: Simeon portat in brachiis? Significant isti tres, tres electorum ordines; Maria prædicatores, Joseph pœnitentes, Simeon bonos operatores. Qui enim aliis evangelizat, quasi Jesum in utero portat, ut eum aliis vel potius alios ei pariat. De talibus erat beatus Paulus, qui dicebat a: *Filioli mei quos iterum parturio,*